



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concinatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

9. Quàm longè melior sit condicio pauperum, condicione diuitum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

tot & tanta vno stomacho simul capiuntur, nisi per vices, nunc vina, nunc fercula reuomantur; vt prius immoderatè ingesta locum faciant, immoderatiùs successuris. Sed omnium stultissimum est, reperiri, qui cum, præ quotidiana ebrietate, cœnæ obliuiscuntur, tamen existiment, se ieiunasse; obseruata scilicet lege Ecclesiastica cibos solùm prohibente, & lege naturali temperantiæ turpissimè violata. Quale hoc ieiunium est, potare, vt non esurias? offerre Deo inedia, & diabolo ebrietatem? Numquid satius esset, carere vino, quàm non carere vitio? destitui panem, quàm distendi dape? incendio alimenta subduci, quàm iniici? sed pauci hoc capiunt. Illos ergo Deus concupiscentijs suis regendos permittit; aliquando etiam, tanquam fures ac raptores, seuerissimè puniturus. Nam illud vinum ad se rapiunt abliguriuntque, in propriam perniciem, quod ægrotis, quod debilibus, atque extrema egestate in extrema deiectis debetur. Quod non prodest eis, nisi vt, velut dolia, impleantur, atque in morbos pinguescant, & naturæ suffocent vigorem. Neque enim podagra duntaxat in pedibus istorum nidulatur, sed etiam in toto corpore mille pestes, quæ subitas mortes, post se, trahunt. Quod per imprecantis modum prædixit Psaltes. *Deficiant peccatores à terra, & iniqui, ita vt non sint*; hanc habent intemperantiæ suæ mercedem, quibus in solo est viuendi causa palato, hoc est, qui non comedunt, vt viuant, sed viuunt vt comedant; neque à Deo escam (ipsis pullis cornuorum deteriores) expectant, sed, vt abundant, etiam egenos spoliant. Talis descriptus est illis verbis; *Sedet in insidijs, cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem. Oculi eius in pauperem respiciunt: insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua. Insidiatur, vt rapiat pauperem, rapere pauperem, dum attrahit eum.* Quid ergo illi cōtinget? *Cadet cum dominatus fuerit pauperum.* Pauperum enim sanguis in venenum ei erit, non in alimentum.

Pl. 103. 35.

Psal. 90 30.

Hæc cum ita sint, ite iam, pauperes, & dicite, Deum vobis esse inclementem: laudate, diuites, sortem vestram, immò deplorate. Veritas pauperes *beatos* vocat, beatos qui esuriunt: de diuitibus autem quid dicit? *Va vobis diuitibus, va, qui habetis consolationem vestram: va vobis, qui saturati estis. Amen.* dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnum cœlorum. Iterum dico vobis, *facilius est, camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum.* Vtrum horum, iam præstabilius est?

I X.

Matth. 5.

Luc. 6.

Matth. 19.

T

vtrum

Gen. 40. 13. vtrum consultius? diuitem esse, an pauperem? saturari, an macerari? O quantam hinc ganeones, Eucliones, Vitellij, epulones erubescendi atque se se submittendi causam habent? quantum macilenti, Iri, esuriones solatium! Si in eodem carcere duo sint, quorum alteri suspendium à magistratu significatum; alteri dimissio ac libertas; vter plus gaudet, vel dolet? Pincernæ in vincula dato Ioseph prædixit, post tres dies, in pristinum gradum restituendum; pistori, post tres dies, ad coruos iturum; cum vtro tu esse voluisses? nonne cum pincerna? At quid Christus diuitibus & splendide epulantibus, quid pauperibus & tenui victu vitam sustentantibus dixerit, audiuisti: cum quibus igitur censeres fortunatius agi? Nonne insania est, diuites quosdam de æterno supplicio, quò sunt certiores, eò esse superbiores? Diogenes, sceleroso cuidam, probri gratia, obijcanti paupertatem: *ob paupertatem*, inquebat, *neminem vidi torqueri, ob malitiam multos*; neque in gehenna quisquam torquetur ob abstinentiam exquisitorum ciborum; torquebuntur autem multi, quia *epulati sunt quotidie splendide*.

X.

Quadrat huc fabula rustici porcum & canem alentis. Canis interdiu ouium gregem cogebatur comitari in pascua; contra lupos & aliarum ferarum incursus pugnare; sustinere æstum & frigus; nimbos & niues pati; tolerare famem & sitim. Nam totis diebus, vix buccem panis à pastore accipiebat; & plerumque, vbi etiam bestiarum dentibus saucius oues domum reducebat, præter arida ossa, vix quidquam obsonij accipiebat, quod roderet. Porcus verò genio indulgens & cuticulam suam curans, (si tamen non corium potius) totus ocio & sagina pinguescebat; interdiu semper in cæno & pastu, noctu, in stramine & somno; cum cani præ foribus excubandum, & contra fures indefinenter peruigilandum esset. Impatientia ergo tandem, atque inuidia stimulatus Hylactor, non sine eiulabili latratu, rustico exprobrauit rei indignitatem, vt qui setosum, foedum, otiosum, pigrum atque inutile animal, pinguisimis ossis, delicatè nutriret, fidelissimo autem custodi domus ossa duntaxat obijceret, & indurata panis frustra, quæ alius nemo comessè vellet. Huic colonus, ne succensesas, inquit, mi fidelis, sed diem crastinum expecta, & videbis hunc tam obesum porcum in cædem saginatum, cum tibi macilento viuere licebit. Altero die cum canis videret lanionem culetro,